

congrua sit; cum nisi delectet, congrua esse non possit. Si autem id in hominis potestate non est, non igitur a genio, & a nativis affectibus pendet: nihil enim tam in hominis potestate est, quam, quod a genio, ac nativis affectibus pendere dicitur. Rursus, si divina præstat gratia, ut vocatio ipsa delectet, divina perinde præstat gratia, ut congrua sit; ideo quippe delectat, quia congruit. Juxta quod lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione cap. 17. scriptum est: ut autem innotescat, quod latebat, & surge fiat, quod non delectabat, gratia Dei est que hominum adjuvat voluntates. Denique si nutum ipsum voluntatis largitur gratia, suam a nutu voluntatis efficaciam fortiri non potest, quantumcumque locorum, ac temporum adjuncta sint congrua: cum nutum non operetur, nisi ut efficiat.

Quod igitur a Molinianis systema defenditur, ab Augustini hypothesi longe distat: nec ab eo nisi vocabuli similitudinem mutuatur, qua paulo fidentius abutuntur, ut illudant. Vocatio quippe, de qua differit Augustinus, in electis congrua merito nuncupatur, quia hanc ipsis efficacissima gratia vis aptam, & idoneam facit; pro cupiditatis superandæ mensura caritatem impartiens, ut terrenus amor cælesti amore pellatur: quo nihil humanæ infirmitati congruum magis. Quid enim debet esse jucundius, vel infirmis gratia, qua sanantur, vel pigris gratia, qua excitantur, vel volentibus gratia, qua juvantur? Epist. 106. At vocationem congruam nuncupant Moliniani, qua nulla magis incongrua, & dignitati gratiæ, & infirmitati naturæ.

Eundem ferme sensum habet, quod ex cap. 14. libri de Dono perseverantiæ petitum est: ac nisi benigniori interpretamento emolliatur, purum penumque Pelagianismum sonabit: cum non nisi naturale intelligentiæ munus, & congrua signa, vel verba desiderare videatur sanctissimus Doctor, ut quis moveatur ad fidem? De externa itaque suadendi, movendique vi, quæ verbis, ac miraculis inest, loquitur Augustinus; qua homines ingenio valentiores, objective duntaxat, ut Schola loquitur, excitantur: ita tamen, ut iners externa illa vocatio maneat, nisi oculo efficacis gratiæ dono trahantur ad fidem. Unde subjungit e vestigio: Et tamen si Dei altiori iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta divina, vel facta, per que possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.

XXXIV.

## LIBELLI SUMMA.

(A pag. 161. ad 170.) Difficilem gratiæ se ipsa efficacis cum humana libertate concordiam probat, rancida illa, tritaque argutia, quam vertit in omne latus: Gratia se ipsa efficax, ut a suis Defensoribus ponitur, ipsa sui naturæ intimam cum voluntatis assensu nexum habet: igitur tam impossibile est non sequi voluntatis assensum, quam res sua ipsarum natura, ac proprietatibus exi; huic itaque gratiæ resisti non potest. Addit Thomistas, ut eo se laqueo liberent, & Tridentinæ Synodi Canonem quartum sessionis sextæ elidant, distinctionem sensus compositi, & divisi, ab annis centum excogitasse: quam etiam intelligentia se non assequi fateatur, oppugnare tamen instituit.

## ANIMADVERSI O.

De his cumulate dictum Animadversione 14. ubi congenitam virtutis alicujus efficaciam, ejuque cum effectu infallibilem ex ipsa sui naturæ connexionem, una cum mota volente indifferentia, ejuque in partem alteram potestate coherere, diversissimis exemplis demonstravimus. Jam si quid valent Danielis argumenta, ut gratia se ipsa efficacis energia resistendi potentiam subverti, atque ita libertatem extingui prober; pari omnino argumentandi forma concludet, Christum Dominum (hæc enim exempla posuimus Animadversione 14.) Scriptores Canonicos, Prædestinatos ad regnum, ipsos gratia congrua vocatos, & excitatos, resistendi potentia, ac libertate decollari.

In congerendis Scholæ Thomisticæ distinctionibus non hærebo, queis futilem illam, ac tritam Danielis argutiam elevant, dum gratia se ipsa efficaci negari consensum, eidemque resisti posse respondent, potentia antecedenti, non consequenti; potentia possibilitatis, non futuritionis; capacitatis, non positionis; in actu primo, non actu secundo; similitate potentie, non potentia similitatis. Quarum omnium distinctionum explanationes eo recidunt, ut expeditam non agendi facultatem, gratiæque obfistendi, negandique consensus potentiam retineat homo, quantumcumque efficaci gratia moveatur; etiam nunquam re ipsa contingat, ut obfistat, nequeque consensum.

Una me, tot inter distinctiones, sollicitum habet, quæ ab importuno Cavillatore fugillatur: quæ nimirum gratia se ipsa efficaci resisti posse contendunt, in sensu diviso, non in sensu composito: cujus quidem eadem ferme, quæ cæterarum explicatio est. Id quippe sibi volunt unum, resistendi potentiam cum gratia se ipsa efficaci coherere, sic tamen, ut dissensus cum efficaci gratia componi re ipsa non possit: uti plane, qui sedet, standi potentiam tenet quidem, tamen si sedere, ac stare conjunctim, impossibile sit.

Minus se in veterum Theologorum lectione versatum prodit, qui distinctionem hanc, a Thomistis recentioribus, ut Tridentinæ Synodi decretum eliderent, excogitatum effudit: ac veluti Thebanæ Sphingis ænigma ab eruditorum intelligentia, sensuque disjunctum, ludis, ac facticiis excipit. Comprimentæ dicacitati, Scholæ Principes laudare fat erit, ætate primos, eraditione summos, auctoritate præcipuos; qui hanc ipsam sensus compositi, ac divisi distinctionem, jam tum ab annis ante Tridentinam Synodum amplius quadringentis usurparunt, pari omnino verborum forma, eodemque plane sensu, quo in præsentia a Thomistis accipitur: ut videlicet divina præsententiæ indeficientiam, decretorumque, atque auxiliorum efficaciam, cum humana libertate conciliarent.

Hugo a S. Victore, qui duodecimo ineunte sæculo Scholæ, & Ecclesiæ illustravit, Quæst. 218. in Epistolam ad Romanos, proposita questione, An præsententiæ necessitatem eveniendi inferat rebus futuris, hanc sibi objectionem obviam facit: Si Deus prævidit aliquid futurum, illud non potest non evenire, & si hoc est, necessario eveniet, quidquid Deus prævidit: Cui e vestigio respondet: Solutio communis hæc est. Hæc, & similia possunt PER CONJUNCTIONEM, ET DISJUNCTIONEM EXPONI. SENSUS CONJUNCTIONIS HIC EST: Si Deus prævidit, necesse est evenire; id est, non potest simul esse utrumque, ut Deus prævident, & non

non eveniat. Et sic est verum. DISJUNCTIONIS SENSUS HIC EST, hoc futurum non potest aliter evenire, quam eo modo, quo evenit, & quam sit prævisum. Et hoc est falsum. Quid aliud Thomistæ recentiores in ore habent, dum gratiæ se ipsa efficaci resisti posse affirmant in sensu diviso, composito negant?

Magister Sententiarum Hugoni ætate haud multum inferior, lib. 1. dist. 38. objectæ sibi difficultati, num res evenire aliter possit, quam a Deo præscita fuerit, ita respondet: Possunt hæc CONJUNCTIM INTELLIGI, sed conditio sit implicita, & DISJUNCTIM. Si enim ita intelligas, non potest aliter fieri, quam Deus præscivit; id est, non potest utrumque simul esse, scilicet, quod Deus ita præsciverit fieri, & aliter fiat; verum intelligis. Si autem per disjunctionem intelligas, ut dicas, hoc aliter non posse evenire, quam evenit, & quomodo futurum Deus præscivit, falsum est. Hoc enim aliter potest evenire, quam evenit, & tamen Deus hoc modo futurum præscivit. Similiter, & alia determinatio, scilicet impossibile est, illud non evenire, quod Deus præscivit, vel cum Deus præsciverit. Si conjunctim intelligas, verum dicit; si disjunctim, falsum.

Et distinctione 40. exponens, quo sensu propositiones illæ veræ, aut falsæ sint: Prædestinatus potest, vel non potest damnari, & reprobus potest salvari; hæc ipsa videtur distinctione: Alia sit, inquit, intelligentia, si per CONJUNCTIONEM hæc accipiantur dicta, atque si per DISJUNCTIONEM. . . . Si enim cum dicit, prædestinatus non potest damnari, & intelligas ita, id est, non potest esse, ut prædestinatus sit, & damnatur, verum dicit, quia conjunctim intelligis; falsum autem, si disjunctim: ut si intelligas istum non posse damnari, quem dico prædestinatum, potest enim non esse prædestinatus, & ita damnatur. An non porro synonyma ista sunt: sensus compositus, & divisus; & sensus conjunctus, & disjunctus?

S. Thomas, quæst. 6. de Veritate art. 4. ad 8. Hæc propositio, Deus potest non prædestinatum prædestinare, vel prædestinatum non prædestinare, IN SENSU COMPOSITO EST FALSA, IN DIVISO VERA. Et ideo omnes locutiones illæ, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter.

Prima parte quæst. 14. art. 13. ad 3. Hæc propositio, omne scitum a Deo necessarium est esse; consuevit distingui, quia potest esse de re, vel de dicto. Si intelligatur de re, est divisa, & falsa, & est sensus, omnis res, quam Deus scit, est necessaria. Vel potest intelligi de dicto; & sic est composita, & vera, & est sensus, hoc dictum, scitum a Deo esse est necessarium. Quibus gemina sunt, quæ habet lib. 1. contra Gentes cap. 67.

Nec distinctionem tantum, sed, & rectum distinctionis sensum aperuit Doctor Angelicus, quæst. 23. de Veritate, art. 5. ad 3. ne peperam, ut ab æmulis sæpe fit, accipiat. Quamvis non esse effectus divine voluntatis, non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficienti effectum simul stat cum divina voluntate, non enim sunt ista impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt impossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnatur. Et in 1. ad Anibalidum dist. 47. quæst. unica, art. 4. ad 2. Quamvis contrarium ejus, quod est volitum a Deo non possit stare cum voluntate divina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea, propter contingentiam causæ mediæ; & hoc sufficit ad hoc, quod effectus sit contingens, & non necessarius. Quibus non absit Serry Tom. V.

milia leguntur, quæst. 6. de Veritate art. 3. ad 7.

Ægidius Romanus D. Thomæ Aquinatis auditor, in 1. Sent. dist. 38. quæst. unica de infallibilitate scientiæ Dei, in responsione ad 4. argumentum. Omne scitum a Deo, inquit, esse necessarium, si propositio intelligatur COMPOSITA, vera est necessitate conditionata: sed si intelligatur DIVISIM, non est vera; eo quod res contingens secundum suam consideratam naturam, vel pro ut in suis causis, non relata ad cognitionem, potest evenire, & non evenire.

(Pag. 169.) En tibi plane recens illud, ut loquitur Daniel, Prædeterminantium effugium, ad eludendum Tridentinæ Synodi Canonem excogitatum, vanam illam subtilitatem, facilemque cavillationem: en, inquam, ante annos ferme sexcentos, a summis Scholæ Magistris in usum addubitatum; ac ipso etiam sensu, quod mirandum magis, quo nunc a Thomistis accipitur, & ad finitimas difficultates eliquandas.

At inquit Daniel, cujus palato distinctio ista non sapit, stantis, atque sedentis hominis exemplo paulo ante laudato, firmata: Quod gratia se ipsa efficax cum dissensu stare non possit, ab ipsa efficaci gratiæ natura venit, non ab arbitrio voluntatis: igitur resistendi potentiam admittit gratia, nedum actum. E contra vero, impotentia standi dum sedeo, libera mihi est; quia liberam originem habet, liberam scilicet sessionem: libere quippe sedeo, ac libere sedeo; quo ex uno sit, ut stare non possim.

Egregium Disputatorem, cui facer Theologorum Chorus venerandus affurgat! Quidni, si sic est, laudatos Scholæ Principes hæc argutia infectatur: Quod æternæ prædestinationis decretum, cum electi hominis damnatione stare non possit, ex ipsa decreti divini natura venit, ejus videlicet lumine falli nescio, atque immorto proposito, non ex arbitrio voluntatis humanæ: igitur incurrendæ damnationis potentiam admittit prædestinatio, nedum actum? Quidni etiam Concillitas suos ista similis formæ argumentatione compellit? Quod gratia congrua cum dissensu, seu renisu voluntatis stare non possit, si minus ex ipsa per sese gratiæ natura venit, saltem ex ipsa congruitate originem ducit, non ex arbitrio voluntatis: quod enim gratia congrua sit, inquit illi, quod opportuno occasionebus detur, quod genio, ac temperamento respondeat, quod placeat, ac delectet, a voluntate non est; juxta illud Augustini lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. Quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod cum delectare possit; vel delectet, cum occurrerit? Igitur resistendi potentiam admittit gratia congrua, nedum actum. Viden, ut se suis retribus implicat Molinianus Disputator?

Quare objecti sophismatis confectio neganda est. Quia tamen diffensionis, & efficacis gratiæ conjunctio repugnet, ob ipsam efficacis gratiæ naturam cum effectu indivulve conjunctam; ea nihilominus efficacis gratiæ natura est, ut voluntatem, relicta obfistendi potestate, inclinabiliter, & insuperabiliter moveat: parique virtute delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem largiatur: Lib. de Corrept. & Gratia cap. 8., & 12., Unde tam libere amat homo sub efficaci gratia constitutus, quam libere sedet quicumque sedet: non quod amandi sibi causa sit, ut sedendi; sed quia qui sacri amoris auctor est Deus, liberum amandi modum inspirat; nec mihi magis liberum accidit, quod a me ipso venit, quam quod ab illo mihi datum est, qui magis habet in potestate voluntates hominum quam ipsi suas. Cap. 14.

Z z z z

Quo.

Quominus id intelligentia assequantur Moliniani, in causa est, quod falso sibi persuadeant, omnem suppositionem antecedentem, unde effectus indeclinabiliter sequitur, libertatem extinguere. Nec satis advertunt, suppositionem antecedentem ex ipso libertatis fonte manantem, & ex infinita prima causa, ceteras omnes juxta causaque naturam, ac modum præmoventis virtute procedentem, libertatem non offendere, sed profundere, uti supra Animadversione 30. planum fecimus. Hinc Scholæ Angelus, 1. part. quest. 19. art. 8. *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Et in Responsione ad 2. Ex hoc ipso, quod nihil voluntati divine resistit, sequitur, quod non solum fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessario, quæ sic fieri vult.*

XXXV.

## LIBELLI SUMMA.

(A pagina 170. ad 173.) Ad gratiam sufficientem diverit Auctor, unde istud adversus gratiam se ipsa victicem argumentum elicit a Lectionibus, ut enixe rogar, serio perpendendum. Quemadmodum, inquit, gratia efficax a se ipsa, cum voluntatis assensu ex natura sua conjuncta est, ita gratia inefficax cum dissensu indivulve conjungitur: igitur si gratia efficaci dissentiri non potest, inefficaci assentiri non poterit. Igitur, qui hac una inefficaci gratia excitantur, implendorum mandatorum impotentia laborant, peccant invicta necessitate, ac demum libertate ad merendum, & demerendum in statu nature lapise requisita destituantur.

## ANIMADVERSIO.

Est hoc jam dudum rubigine telum exesum, in Daniele, ceterosque gratia congruæ Defensores nullo negotio retorquendum. Gratia enim inefficax, seu, ut Molinianorum ore loquar, mere sufficientis, sub iis circumstantiis homini data, sub quibus Scientiæ Mediæ lumine prævisus est dissentiri, cum dissensu indivulve conjungitur, in minus ex ipsa sufficientis gratia natura, saltem ex circumstantiarum importunitate, Scientiæ Mediæ lumine falli nescio in antecessum explorata: igitur sicut gratia, spectata circumstantiarum opportunitate prævisa, in actu secundo dissentiri homo non potest; ita inefficaci, merere sufficienti, spectata ex adverso circumstantiarum importunitate, assentiri non poterit: atque hinc cætera ab Daniele contra nos deducta incommoda consequentur.

Merum igitur sophisma est Danielis argumentum, tamen semotis strophis, atque ambagibus, de consequenti duntaxat assentiendi, ac dissentendi potestate sermonem faciat. Aliter enim gratia per se efficax cum voluntatis assensu ex natura sua conjungitur, quam inefficax gratia cum dissensu ex natura sua conjuncta sit. Ea quippe cum voluntatis assensu ex natura sua conjungitur, quia voluntatis assensum indeclinabiliter, & insuperabiliter operatur: ista cum dissensu indivulve conjuncta est, non quod illum ullo pacto operetur, & faciat, (quis enim ita desipiat, ut gratiam sibi fingat, quæ ad dissentendum ipsimet gratia voluntatem inducat?) sed quod virtute tanta, & energia non polleat, ut voluntatis assensum eliciat. Quapropter quod efficaci gratia voluntas in actu secundo, ut Scho-

la loquitur, & in seafu composito dissentiri non possit, ex gratia natura venit, tanquam germana, veraque causa, assensum efficaciter operante. At quod efficaci gratia voluntas eadem in actu secundo assentiri non possit, non a gratia oritur uti causa, sed a vitio, & infirmitate nature, quæ nudis illis excitationibus illecta, factis non habet virium, ut integrum illis præstet assensum.

Si qua itaque implendi præcepti impotentia laborat, quominus illud implere complete possit, impleatque re ipsa, quandiu solis inefficacibus gratiis excitatur, hæc vitio hominis nascitur, aliterque; adeoque culpa non vacat. (Vide animadv. 6.) Nascitur, inquam, hominis vitio, quia corruptæ nature vitio fit, ut satis ad assentiendum integre, virium non habeat, donec potentioribus præstidiiis adjuvetur: alitur, & vitio, quia non nisi culpe hominis deputatur, quod sufficientibus auxiliis excitato, efficacia auxilia denegentur, quæ assensum indubitanter elicerent. Quod qua ratione, quove pacto contingat, exponit Doctor Angelicus Q. 2. de Malo docens: Ex indispositione hominis provenire, ut motio primi moventis perfecta non sit, aut ita perfectam operationem producat: quæ indispositio, vel est præcedens peccatum, vel est error; aut ignorantia, vel saltem inadvertentia; propter quorum aliquod motio Dei moventis sufficienter ad bonum, non fit ita efficax, ut perfectam in homine operationem producat. Quæ omnia relata ex culpa hominis sunt. 3. verò contra Genes cap. 159. Hæc habet: *Licet aliquis per motum liberi arbitrii, divinam gratiam, nec promereri, nec acquirere possit; potest tamen se ipsum impedire, ne eam recipiat.* Unde D. Augustinus lib. 1. Retractationum cap. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ, jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam poena peccati.*

Si qua etiam homini, efficaci gratia destituta peccandi necessitas inest, hæc non invicta putanda est, sed vincenda, non physica, sed moralis; non antecedens, sed consequens; non imposita, sed quæstia vitio voluntatis humane; neminemque idcirco a peccato liberum facit. Quia, ut mire loquitur Augustinus lib. de Perfectione justitiæ cap. 6. *sola hominis voluntate factum est, ut ad istam necessitatem veniret, quam sola hominis voluntas superare non potest.*

XXXVI.

## LIBELLI SUMMA.

(A pag. 174. ad 180.) Decretorium argumentum ex Apostoli oraculo petium 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* quo gratia congruæ systema petitur, duplici responso declinare nititur. Ne enim concedere compellatur, habere hominem a se ipso voluntatis assensum, ac nutum, deque illo gloriari præ alio posse. Reponit I. Hominem, in hypothesi gratia congruæ, prævenienti inspirationi non assentiri sine gratia cooperantis, & adjuvantis auxilio. II. Hominem in semetipso gloriari non posse, quia divinæ misericordie fuit, quod ipsi iis in circumstantiis gratia conferretur, in quibus prævisus est consensus: nec posse infari præ alio, cum & alius divinæ inspirationi pariter consensisset, si hæc illi Deus menti, ac genio congruentem opportuna occasione largitus esset.

ANI.

## ANIMADVERSIO.

Quia iis responsis imprudentum ora subliniat, nullus dubito: at num ea perinde probaturi sint, quibus Moliniani systematis arcana rimari datum est, haud satis scio. Non assentiri hominem, inquit ille, prævenienti inspirationi sine gratia adjuvantis auxilio: bene est; at ipsos etiam Massilienses, discretionem unius ab alio, a libero arbitrio petiisse, sub ipso tamen gratia adjuvantio, testis est D. Prosper, data ad Augustinum Epistola. Id igitur erat a Moliniano Theologo declarandum, an prævenienti inspirationi assentiat vi, & efficacia gratia adjuvantis; alioquin in liberum refundatur arbitrium. Et certe qua forte, si iactis principiis stare velit, vi, & efficacia adjuvantis gratia, assensum elici dicit; cum ipsam gratia efficaciam, a voluntatis sub congruis circumstantiis constituta consensu, pendere contendat? Maxime vero cum, ipso Suarezio iudice, lib. 3. Opusculorum cap. 5. n. 4. Illa etiam gratia adjuvantis, & cooperantis voce indicatur quedam simultanea conjunctio voluntatis, & gratia adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur; ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedat, VEL IMPELLAT; sed solum simul operentur.

Ad hæc, gratia cooperans seu adjuvans ex Moliniana Scholæ decreto, se ipsa indifferens est, atque verfacilis. Qua porro ratione fieri potest, ut ab indifferenti principio, voluntatis humane determinatio, qua nutu, & assensione posita est, originem ducat? Et quidem, si Moliniani fidem adjungimus, quibus divina decreta se ipsis indifferenter, (Legge Animadv. 26.) & ex liberi arbitrii consensione suspensa fingere lubet, gratia cooperans determinatio non influit, nisi posita liberi arbitrii determinatione, qua indifferens Dei decretum determinari necesse est. Discretionem igitur consensientis a dissentiente non facit gratia cooperans, sed supponit; quandoquidem is ab isto, non nisi liberi arbitrii determinatione fecerunt. Sane cum influxus gratia cooperantis, ex eisdem Scholæ decreto, pendeat ab influxu liberi arbitrii, ut re ipsa sit; adeo ut si liberum arbitrium velit, gratia concomitans influxum habeat; si nolit, non habeat: profecto gratia concomitans non dat bonum usum libero arbitrio, sed vice versa liberum arbitrium dat usum, & exercitium gratia cooperanti: atque ita prima discretionis origo a libero arbitrio repetenda venit.

(Vide Animadv. 21.) Insuper Theologiæ Moliniana principium est, gratiam adjuvantem, & cooperantem solo nomine a prævenienti distingui, nil novi, quod a Deo veniat, superaddere, sed ob usum, quæ supervenit liberi arbitrii consensione eo titulo cohonestari. Quid aliud igitur sibi volunt, dum hominem prævenienti inspirationi, gratia adjuvantis, & cooperantis auxilio, assentiri respondent; nisi posita prævenienti gratia, utriusque ex aquo communi, alterum nativis viribus assentiri, quin novi quidpiam a Deo, quod assensum operetur acceperit? hoc scilicet est, quod misso verborum furo, rundo ore significat Ludovicus Molina 1. part. quest. 23. art. 4. & 5. disp. 1. mem. II. §. Deinde. *Sine duo homines justis, animis, & corpore, ceterisque adiunctis per omnia pares, ponamusque Deum constituisse, eodem profus modo utriusque ex parte sua opulari, ac providere. Tunc oblata utriusque eadem peccandi occasione ex aspectu ejusdem mulieris pulchre, pro sola inata libertate utriusque fieri potest, ut unus in peccatum consentiat, alter*

minime, sed se ipsum cohibeat. Ac ne nobis gratiam suam adjuvantem obtrudat Daniel, uni præ altero datam, cuius ope consensum præstet homo, seque discernat, circulationes illas occupat Molina quest. 14. art. 13. disp. 37. §. Illud, *Ab inequali conatu, & influxu liberi arbitrii provenire potest, ut conferente Deo duobus hominibus EQUALE AUXILIUM GRATIÆ ADJUVANTIS, unus eorum intensius operetur, meliusque se disponat ad gratiam justificantem, quam alius: & ut conferente eisdem inequalia auxilia, æque operentur, que is interdum plus, qui minori suffultus est auxilio.*

Dicat modo, si potis est, causa dependitæ Procurator, discretionem unius ab alio, divinæ gratia beneficio fieri, juxta domesticæ Scholæ principia: stabit inconcussa Augustini sententia libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 5. *Gratia, que bonos discernit a malis, non est communis bonis, & malis.*

Difficultatem ex celebri illo Apostoli dicto petitam nihilo melius expendit secunda responsio: 1. Quia Augustinus lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. facta duorum hominum hypothesi, quos eadem tentatio pulsavit, unum ab altero reportatâ victoria discretum contendit, tamen affectibus corporis, & animi pares essent: at potissimè circumstantiæ a quibus gratia congruitas pendere dicitur, ex profecto sunt, quæ in variis corporis, & animi affectionibus posita sunt: ex siquidem intereæ consensu, intinuique cum exercendo voluntatis assensu conveniunt, quam ceteræ quæcumque externæ ex temporis, & loci natura petite. Unius igitur ab altero discretionem a circumstantiis, in quibus conferetur gratia, non repetit Augustinus. Si enim duo aliqui, inquit, equaliter affecti animo, & corpore videant nihil corporis præbuitudinis, quæ visa unus eorum ad illicite præferendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid puram esse causam, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas virgula? Quæ illam res fecit, in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis; nam eam non fecit in ambobus: quandoquidem amborum non dispariter occurrit aspectibus. An caro intuentis in causa est? cur non & illius? An vero nutus? cur non utriusque? Ambos enim, & animo, & corpore equaliter affectos fuisse prædicimus. An dicendum est, alterum eorum occulta maligni spiritus suggestionem tentatum, quasi non eidem suggestioni, & qualicumque suasioni propria voluntate consensisset? &c. Tum paucis interjectis propositæ difficultati respondet: *Si eadem tentatione ambo tententur, & unus ei cedat, atque consentiat, alter idem, qui fuerat, perseveret; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Deo scilicet id per gratiam operante, ut nollet malum, & in castitatis bono perseveraret; juxta inconcussum illud Augustini principium: Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas a Domino. . . . Certum est nos facere cum facimus; sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati. Libro de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16.*

II. Tametî divinæ misericordie dicitur esse, quod cuiuspiam iis in circumstantiis gratia conferatur, in quibus prævisus est consensus; unius tamen ab altero discreto meritoria, ab illo venire censenda est, unde consensus ipse prævisus est oriturus. Tota enim meritis a non merente discreto in assensu posita est; nec eo præcise titulo meretur homo, quod gratiam recipiat, sed quod receptæ gratia fidelî consensione respondeat. (Vide de Animadv. 21.) Porro Deus lumine Scientiæ Me-

Mediæ, assensum gratiæ præstitum, ab innata libertate futurum dicitur prævidisse. Discretio itaque meritoria ab innata libertate proficisci censenda est, in hypothese congruæ vocationis.

III. Quantumcumque gratia congrua supponatur, opportunis occasionibus detur, genioque naturali respondeat; natura tamen sua indifferens, atque versatilis dicitur esse, donec eam voluntariis assensibus ad certum effectum determinarit, ac tæxerit; quo certe voluntariis actu meritum stat. Non itaque a gratiæ congruitate succrescet merentis a non merente discretio, sed ab ipso voluntariis assensu, indifferenter gratiam firmante, ac desinente.

IV. Ideo oblata gratiæ consentit homo, seque ab altero non consentiente discernit, quia hæc ipsi apprimè congruit: rursus ideo maxime congruit, quia complexioni, affectui voluntariis, genioque naturali respondet: erit itaque prima consensionis, ac discretionis ratio a genio naturali, complexione, ac voluntariis affectibus repetenda.

Erit forte, qui dicat, non a genio naturali per se se, sed a proportione, concentuque gratiæ cum genio repeti oportere. At perperam profus, & incassum. Aut enim ea genii cum gratiæ proportio, atque conjunctio, talis, tantaque est, ut certum cum voluntariis assensu nexum habeat, aut non. Si non; fieri ergo quandoque poterit, ut ex duobus æqualis omnino genii, affectus, & complexionis, quibus eisdem proportionis, atque concentus gratiæ præsto erit, unus præstet assensum, neget alter: quo casu unus ab altero discretio, nec a gratiæ, nec ab ejus cum genio proportione repetetur. Quod enim utrique commune est, unum ab altero non discernit. Si talis e contrario, tantaque proportio illa est, ut certissimam cum voluntariis assensu habeat conjunctionem; in idem læsæ libertatis incommodum recidunt Moliniani, quod in gratiæ se ipsa victriis Defensores perpetuo regerunt, dum ex positione antecedenti, unde effectus certissime consequatur, libertatem violari conqueantur. Ea quippe proportio assensum penitus antecedit.

Neque juvat, si ad Scientiæ Mediæ lumen confugeris. Non enim gratiæ congruitas, seu eisdem cum voluntariis assensu intima, certa conjunctio ab ipsa Scientiæ Mediæ origine ducit: sed contra potius ipsa Scientiæ Mediæ certitudo, atque infallibilitas, ex hujuscæ conjunctionis, ac proportionis certitudine pendet. Idcirco enim Deum certo scire contendunt recentiores, hominem in hujusmodi circumstantiis divini gratiæ confensurum, quia is ex innata libertate infallibiliter confensus est; nec suam scientia illa facit objectum, sed contemplatur.

V. Nemo in ordine supernaturali discerni ab alio potest, nisi per id, quod ad ordinem supernaturalem attineat: si enim naturam discretio superat, ab eo profecto debet esse, quod naturam excedat. Circumstantias autem omnes, a quibus congruitas gratiæ pendere dicitur, complexionem, genium, temperamentum, locum, tempus, cæteraque adjuncta ad naturæ ordinem attinere, nemo non videt: qui igitur fieri poterit, ut ab his discretio unus ab alio, de qua loquitur Apostolus, repetatur?

VI. Natura obedientiæ duntaxat potestatem habere dicitur, ad ea, que intra gratiæ ordinem continentur. Sic fidei, spei, & charitatis actus, pro gratiæ duntaxat mensura pensantur, a qua una majorem, minoremve perfectionem forbiuntur, nihil ad id conferentibus naturæ datus. Hinc a Doctore Angelico, 1. part. quæst. 12. art. 6. divinum lumen beatis mentibus infu-

sum, una, ac sola visionis beatæ mensura ponitur, nativa intellectus perspicacia nihil ad augendam, minuendamve visionis perfectionem congerente: ita nimirum, ut e duobus æquali lumiferent, ne gloriæ perfusus, nihilo melius Deum videat, cui nativum acumen ingenii majus est. Ut quid itaque naturæ genium, complexionem, temperamentum, cæteraque adjuncta locorum, & temporum obtrudere liceat, quæ gratiam nobis efficacem, & congruam faciant; ut æqua in duobus gratiæ mensura, pro vario cujusque temperamento, effectum fortiat, aut cedat irrita?

XXXVII.

## LIBELLI SUMMA.

(A pag. 181. ad 190.) Idem alterum molitur avertere, quo gratiæ congruæ Defensoribus confutatur invidia; quasi gratiam libero arbitrio subditam ponant, eandemque voluntatis motum se dicitur velint. Id a vero perinde abesse contendit, seu de præveniente, seu de cooperante gratia obijciatur. De præveniente quidem id falsum esse ait, quia hæc ex Molinianæ Scholæ sententia, nutu duntaxat suo, ac liberali voluntate largitur Deus, nullo liberi arbitrii conatu, nullo voluntariis actu, quo hujus recipiendus dignus evaserit, provocatus. De cooperante id ipsum nihilo verius esse contendit. Quia Deus cooperantis gratiæ beneficio assensum una cum voluntate operatur in nobis, quin illum ad eam nobis largiendam, inducamus. Idcirco mitemdam, inquit, invidiosam illam loquendi formulam Semipelagianis familiarem, sed a suorum ore, ac mente remotissimam, qua gratiæ arbitrio subdita dicitur: nec exprobrandum gratiæ victriis oppugnantibus, quod gratiam voluntati subdiciant; sed quod voluntatem divini gratiæ libere assentiri dicant, eidemque sic obsequi velint, ut ejus tamen inspirationem abicere possit. Quæ illi probra patienter, ac etiam cum gaudio ferunt, in Augustinum perinde, & Tridentinam Synodum recidentia.

## ANIMADVERSIO.

Danielem verba dare, cum hanc nobis suorum professionem ostentat, ne gratiam arbitrio subdere videantur, Animadversione 21. cumulatissime demonstravimus. Uam dictis adjiciam, ut cuique perspicuum fiat, gratiam arbitrio subditam, ex Molinianæ doctrinæ principiis nequam fluere, sed hanc ipsam loquendi formulam, aliasque multo crudiores ab eisdem Professoribus usurpari.

Suarez in Opusculis lib. 3. cap. 12. n. 7. Gratiam prædeterminantem cum libertate conciliari non posse, hæc observatione probare nititur: Hoc diceretur quidem recte, si illud auxilium positum in voluntate, subderetur usui libero ejus, non autem sic ponitur, sed potius subdens voluntatem usui necessario ejus. Gratiam igitur efficacem libero arbitrio subditam dici amat, qui eo maxime nomine physicam prædeterminationem exufflat, quod hæc libero non subdatur arbitrio.

Lessius Tractatu apologetico de Gratia cap. 4. n. 16. Fatendum est, Deum certissime præficio, ad quam actionem voluntas creata se sit determinatura, & quem concursum habitura ex hypothese illa generali, SI CONCURSUM MEUM IN EJUS POTESTATE POSUERO. Et cap. 18. n. 1. Ut auxilium dicatur habere efficaciam in actu secundo, expectat consensum voluntatis, CUJUS USUI SUB-

SUBEST, ita ut hæc efficacia ab usu voluntatis quodammodo pendat.

At fossam fidentius transiliunt recentiores, Unus instar omnium fit Christophorus de Orthega, qui sutori non ita pridem hoc de argumento calamo scripsit. *Controversia 3. de Decreto, disp. 2. quæst. 4. Certamine 3.* ita Deum decernentem inducit: *Decerno concurrere ad actionem etiam pravam, vel ejus oppositam, vel non concurrere ad illam pro libito voluntatis create: id est, meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum extrinsecus præparo, SUBDOQUE, ut ea utatur creata voluntas, non secus atque habitibus infusus, quos ad actus supernaturales ipsi inherentes immitto. Tum Certamine 4. n. 6. Deus decreto suo activitatem omnipotentis sue applicat, AC SUBDIT ARBITRIO VOLUNTATIS CREATE. . . . Et cum ea sibi applicata, ATQUE ARBITRIO SUO SUBDITA, activitatem omnipotentiam utitur. Subinde num. 7. Deus sua omnipotentia activitatem, & virtutem activam create voluntatis arbitrio, AC LIBERE DETERMINATIONI SUBDIT. Tandem disp. 3. quæst. 2. Certam. 1. n. 5. Certam. 2. n. 1. & Certam. 4. n. 4. ita prolixam disputationem absolvit: *Deus voluntatis sue, seu quod idem est, omnipotentia sua activam ad extra virtutem, quoad usum applicat create voluntati, ut ea sicut habitu sibi infuso utatur, ut diximus: nec concursum suum aliter voluntate sua prosequi, ac præparare debet, aut potest. Quas assertiones publico Decreto a nobis alias in integrum dato, proscripsit Innocentius XI. die 23. Novembris anni 1679. (Augustinus vindic. pag. 364.)**

Cæterum, quod voluntatem divini gratiæ libere assentiri doceant Moliniani, sartumque teclumque velint Tridentinæ Synodi Canonem, quo liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo dissentire posse si velit, definitum est; tantum abest, ut illi eis vitio dent Scholæ Thomisticæ Professores, ut potius ab ipsis violatum Canonem conqueantur, dum liberum arbitrium gratiæ se ipsa victriis lædi conqueantur. Nec injuria. Dum enim Calvinii assertionem proscripsit Synodus Tridentina, (*liberum arbitrium motum, & excitatum a Deo non potest dissentire si velit:*) eam utique proscripsisse censenda est, quo sensu a Calvino propugnabatur; alias Calvinum minime pateret, in cuius tamen damnationem conspiravit. At hæc de gratiæ se ipsa efficaci a Calvino proferebatur, cui unus liberum arbitrium dissentiri non posse contendeat lib. 2. *Institutionum cap. 3.* nec adeo profecto stipes erat, ut hominem nudis, ac meris excitationibus obfistere non posse, propugnaret. Itaque in Tridentinæ Synodi Canonem impingunt, qui gratiæ se ipsa efficaci libertatem ita lædi fabulantur, ut liberum arbitrium ea motum, & excitatum dissentire non possit.

Et vero dum assentiendi necessitatem ex gratiæ se ipsa efficaci positione colligebat novæ reformationis Architectus, aut consequentiam ex antecedenti recte fluere censuit Tridentina Synodus, aut ex illo perperam derivari existimavit: si recte derivari, ac fluere censuit, qui, quæso, in tacto antecedenti, in unam consequentiam censuram exercuit? si minus fluere, ac derivari existimavit; qui, quæso, læsam arbitrii libertatem, gratiæ se ipsa efficaci hypothese, ad ravim usque Moliniani vociferantur?

Non itaque Moliniani succensimus, quod liberi arbitrii jura facta, teclaque velint, ac de tendis sacra Synodi functionibus solliciti videantur: sed quod positos limites prætergressi, illud

nos Augustini dictum usurpare compellant: *Vos inimici, & defensores liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad suos limites revocari omnipotentis, & veri defensoris bonitate non vultis, lib. 3. Operis imperfecti contra Julianum cap. 104.*

XXXVIII.

## LIBELLI SUMMA.

(A pag. 190. ad 197.) Tertium istum declinare tentat, quo nimirum gratiæ se ipsa efficaci oppugnatore in jus vocantur, quasi Deum moraliter tantum ad assensum eliciendum concurrere doceant, non item physice. Quocirca tria reponit. I. Id a Thomistis duntaxat obijci ait, physica prædeterminationis, a Banneo non ita pridem excogitata, propugnatoribus; non ab aliis gratiæ se ipsa efficaci defensoribus, quæ physica prædeterminatio non sapit, quique gratiam efficacem in sola mentis illustratione, ac voluntatis excitatione constituunt. II. Deum etiam in Molinianorum hypothese physice concurrere ait ad voluntatis assensum: tum quod gratia præveniens, atque operans, qua Deus, & mentem illuminat, & excitat voluntatem vero, reali, ac physico plane modo id agat: tum quod gratia cooperans voluntatis assensum, cæterosque animæ motus vere omnino, realiter, ac physice producat una nobiscum, III. Thomistis insultat, quod voluntatis assensum divini gratiæ tribuendum omnino dicant: utque, quid ea loquendi formula sibi velint, semotis ambagibus proferant, adhortatur.

## ANIMADVERSIO.

Num physicam prædeterminationem Banneus excogitarit, nihilve doctrina hæc cum Augustino, ac præfice Scholæ Magistris commune habeat, diligentius expendere, non est præsentis instituti, & otii. (*S. Thomas sui interpret.*) Legendum ea de re duntaxat moneo eruditissimum æque, ac piissimum Patrem Antonium Maffouliè, qui constans illud Scholæ Thomisticæ dogma spisso volumine propugnavit, & ab æmulatorum insultibus egregie defendit. Hunc ubi Daniel firmis momentis, ac rationibus confutaverit, liberum faciem, ut Thomisticæ Scholæ dogma factis, ac salibus ludat. At erit ille mihi, si id egerit, magnus Apollo.

Videor certe mihi alio in mundo versari, dum in hæc Danielis responsa oculos flecto. Quasi vero soli Molinianos hoc telo petant Thomistæ prædeterminationis physice defensores! At Jansenius ipse, ad quem nos paulo ante Daniel provocavit, quippe uti in propugnanda gratiæ se ipsa victriis, ita in oppugnanda Thomistica prædeterminatione, multorum agmen ducit, hæc ipsa ratione Molinianos exagitat, qua Thomistæ nostrates. Imo gratiam in statu naturæ læpse physice prædeterminantem agnoscit una cum suis, totaque virium contentione defendit; dummodo necessitas ejus non aliunde, quam ex vitiatæ naturæ infirmitate repetatur. Postquam enim physicam prædeterminationem ex naturali voluntatis indifferentia, & omnium causarum subordinatione petitam, modis pessimis habuit cap. 2. libri 8. de Gratia Salvatoris, istum tertio subinde capiti titulum præfigit: *Adjutorium Christi determinat, ac PRÆDETERMINAT ETIAM PHYSICE VOLUNTATEM, UT VELIT. Et ex quo capite istud accidit.* Quod subinde fute fati exequitur. *Quo quamvis, inquit, ita se habeant,*

tantaque inter physicam prædeterminationem, prout a Scholasticis defendi solet, & medicinale Christi adjutorium discrepantia sit; in hoc tamen, uti diximus, cum ea convenit, quod **OFFICIUM PHYSICÆ PRÆDETERMINANDI VOLUNTATEM EI VERE COMPETAT**, eoque vocabulo non abstracte, sed concrete sumto merito appellari possit. Nam hoc ipso, quo secundum principia S. Augustini, gratia vera Christi est adjutorium, quo fit velle, atque perficere, prout ab adjutorio sine quo non distinguitur; itemque adjutorium non potentiale, quo velle, & agere possumus si volumus, sed voluntatis, & actionis, quo Deus facit, ut re ipsa volumus, & agamus, prout ea suis locis demonstrata sunt; perspicue patet istud adjutorium esse tale, ut voluntatem cum quacumque alia gratia in potentia constitutam ad actum pertrahat, non si voluerit, (quemadmodum gratia Adami, & Angelorum, cum qua re ipsa steterunt in veritate, proprium fuit) sed ei efficacissime præbendo, ut velit. Non enim expectat, ut voluntas secum insinat, quemadmodum in adjutorio Angelorum etiam Sanctorum accidebat, quorum voluntas ita fortis erat, ut quemadmodum, & quando, & quantum vellet, uteretur aut non uteretur adjutorio: sed facit secum insinere voluntatem, applicans eam ad volendum, agendumque, quicquid per eam Deus volendum, agendumque constituerit. Cum enim per varietas cupiditates voluntas ad non volendum, imo ad repugnandum determinata sit, tollit istam depressionem, atque determinationem in contrarium, & reflectit eam in bonum, non solum si libero arbitrio, hoc videatur, & velit, sed ineffabili sua luce, atque suavitate faciendo, ut ei sic videatur, & velit. Sic enim Deus avellit cor lapideum, & dat cor carneum, sic animum efficacissima potestate convertit, sic duritiam cordis auferit, sic operatur velle, atque perficere, sic ex volentibus, & repugnantibus volentes, & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit, quam voluntatem inclinando, applicando, determinando; & quia prævenit ipsam voluntatis determinationem, **ETIAM PRÆDETERMINANDO, NON SOLUM MORALITER, SED VERA, REALI, ET PHYSICA DETERMINATIONE**. Moralis enim prædeterminatione illa dicitur, que tantum se habet ex parte objecti, quemadmodum facit ille, qui consilio, suadet, præcipit, rogat, blanditur, sive exterius, sive interius. Sed hæc se habet in ipsa potentia voluntatis, quam proprio sui suavitatis magnitudine, ad volendum applicat, & applicando determinat, ut pateat causans in ea hoc ipsum, ut se determinet; ideoque prædeterminat. Hæc ibi Janfenius.

Et cap. 1. libri ejusdem, duarum opinionum de physica prædeterminatione, & gratia congrua discrimen assignans, & qua parte illarum quælibet cum Augustino consentiat, ac dissentiat, ad trutinam vocans, physicam prædeterminationem Augustinianæ doctrinæ medullam, ac summam complecti ait; idque unum in ea redundare, ac superfluere monet, quod ejusdem necessitatem non ex una infirmitate naturæ Thomistæ deriverit, sed ex indifferentia etiam voluntatis, causarumque subordinatione repetendam existiment. Quod si quis, inquit, discrimen illud duarum istarum sententiarum, vel solum præ oculis habeat, non est difficile animadvertere, quid respondendum sit interroganti, cum utra tandem doctrina de adjutorio medicinali Christi, quam tanquam veram Augustini sententiam ex ejus scriptis undique continentibus produximus, convenire statuenda sit. Dicendum est enim, ex integro cum nulla convenire, sed aliquid ab utraque sumere. Nam a priori accipit, quod voluntatis consensum efficaciter inclinando, **ATQUE**

**ADEO PRÆDETERMINANDO** largitur; a posteriori, quod sit actus quidam vitalis, utpote celestis, & Augustini præfati ineffabilis suavitatis delectatio. Non tamen expectat impulsus voluntatis, ut secum insinat, sed ei tribuit; nec heret quodammodo ex arbitratu voluntatis eligentis, ut velit, aut nolit; sed arbitratum volendi, ad hoc ipsum determinando suavitatis efficacia voluntatem, efficit. Ex quo fit ut, quod in gratia medicinali Salvatoris essentiale, ac formale est, in Augustino illi animadvertent; hi vero, quod quodammodo materiale. Itaque longe propius illi ad veritatem accesserunt: ipsam quippe medullam gratiæ Christi respectu læse voluntatis, hoc est, adjutorii quo, tetigerunt, que in ista potenti consensio efficiencia, ac donationis consistit; & per illam ab omni alia spuria gratia, quam Pelagiani, & Semipelagiani prædicarunt, maximeque ab illa gratia sine qua non, que stantis hominis, & Angelorum voluntati propria est, separatur. Ut sane merito dici possit, doctissimos illos viros primæ sententiæ defensores, veram Augustini sententiam de gratia Salvatoris vidisse, atque tenuisse. Quod si quid ei ulterius adjecerunt, ex superfluentibus humanæ Philosophiæ excessibus factum est, qui ad tuendam perfectam veritatem fatigentis animi conceptibus, naturalem scientiam in subsidium rapientibus, obulire solent. Hucufque Janfenius, ad quem nos, vel invitato Daniel provocavit.

Alios quid memorem physicæ prædeterminationis, ut a Thomistis assertur, oppugnatores; qui Molinianis nihilofecius vitio verunt, quod voluntatem infirmam, ac viciatam physice prædeterminari a Deo negent? Siquidem quotquot gratiam efficacem prævenientem admittunt, eamque in delectatione victrici constituunt, quacumque Scientia Media futuri consensus, & circumstantiarum exploratrice penitus ablegata, ii certo ultra meras suafones, atque excitationes Molinianas, quæ motionum moralium loco censentur, etiam propriam, atque physicam motionem prævenientem, & prædeterminantem admittunt; qua rebellis voluntatis contumacia superetur, fanetur infirmitas, pravus immutetur affectus, ad consensum demum determinetur, & applicetur.

Jam quod Daniel secundo loco responderet, gratiam prævenientem, & operantem, juxta fuorum hypothesein, vero, ac physico plane modo agere in intellectum, & voluntatem, a fummis domesticæ Scholæ Magistris procul abijt. Suarez, quem doctrinæ ducem amplectitur, lib. 3. Opusculorum cap. 5. n. 10. Auxilia excitantia, inquit, maxime habent vim **CAUSÆ MORALIS**. . . Constat, hoc totum causalitatis genus **ESSE MORALE**. Et declaratur a simili, nam homo inducens alterum ad malum, vel Demon tentans ad peccandum, est causa moralis peccati, quia ad illud excitat, & movet: sic ergo Deus multoque magis, ac perfectius est causa moralis boni actus supernaturalis, ad quem eliciendum nos excitat, nostramque preparat voluntatem. **DENIQUE TOTTA HÆC CAUSALITAS REDUCITUR AD MOTIONEM FINIS, QUÆ METAPHORICA EST**, nam per hanc gratiam excitantem fit, ut objectum, quod amandum proponitur, honestius, & amore dignius appareat; & quod timendum, horribilius; quod odio habendum, turpius, & sic de ceteris: Hoc autem fit, vel magis illuminando intellectum, vel aliquo modo disponendo, & inclinando affectum, ex quo judicium practicum intellectus plurimum pendet.

Bellarminus lib. 1. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 14. Si consideremus causam illius ejusdem

dem actus **MORALEM**, idest, causam moventem suadendo, hortando, consulendo, ea solus est Deus. Voluntas autem securum hoc genus causæ, non est movens, sed tantum mota. Non enim ipsa se voluntas impellit suadendo, & hortando, ut velit, quod non vult; sed Deus per inspirationes suas inus anime loquens, ei suadet, & persuadet, ut velit. Hæc est igitur gratia operans, que prævenit conatum, & industriam nostram, & operatur, ut velimus, quod antea volebamus, sine nobis operantibus, ut velimus, non tamen sine nobis libere consentientibus, dum volumus.

Quibus adtipulantur Gabriel Vazquez 1. part. quest. 23. disp. 88. n. 20. §. Docent igitur, & Gregorius de Valentia 1. 2. disp. 8. quest. 3. de Divisione gratiæ, puncto 3. ubi ad morales duntaxat excitationes allicientes, & invitantes, prævenientis gratiæ vim totam coardant.

Haud me fugit, physica motionis vocem Molinianis aliquos usurpare, ubi de sua præveniente gratia sermonem intituunt: at scum illos lectoribus facere, quando in nudis excitationibus, & suafionibus hærent, Suarezii momenta evidenter ostendunt. Id nominis soli Thomistæ nostrates, quique illis adhærent, usurpant jure optimo, gratiamque prævenientem vere, proprie, ac etiam physice movere hominis voluntatem affirmant; quia non solum excitantem gratiam, prævenientem agnoscunt; sed gratiam etiam adjuvantem, & cooperantem, quatenus ab excitante distinguitur, prævenientem esse contentum: juxta illud S. Fulgentii lib. de Incarnatione Verbi cap. 17. Tunc vero, rectaque ait, ejus esse hoc velle, cum cum gratia præveniens cooperit adjuvare: Illudque Gelasii Rom. Pont. Epistola 7. ad Episcopos per Pienam constitutus: Ostendit Apostolus, quod donum gratiæ non ipse præcessit; sed fuit subsensus; atque monstravit cooperatorem se esse gratiæ subsequendo. (apud Labb. Tom. 5. pag. 306.) Si enim liberum arbitrium cooperatur gratiæ subsequendo, gratia cooperatur arbitrio præveniendo. Verum, qui nullam, nisi mere excitantem gratiam, prævenientem agnoscunt, quippe cooperantem gratiam, ut est ab excitante distincta, liberam arbitrii nostri cooperationem nullo pacto prævenire contendunt, non aliam, nisi moralem, & metaphoricam, movendi vim, prævenientis gratiæ adscribere possunt, modo ne verbis abuti veliat. Quod multis evincit Suarez libro laudato cap. 4. n. 12.

Neque refert, quod objicit Daniel, simplicem illustrationem, atque excitationem, queis prævenientem gratiam fitam volunt vocationis congruæ defensores, reale quidpiam esse, ac physicum, mentemque, ac voluntatem efficere. Quis id neciat? At voluntatem ad assensum eliciendum physico perinde modo non movent, sed morali duntaxat; uti cætera quæcumque Angelorum, atque hominum vocationes, motiones, suafiones, adhortamenta. Quandoquidem, ut Suarezius observat, id unum gratia illa excitans præstat in nobis, ut objectum, quod timendum proponitur, horribilius; quod odio habendum, turpius; quod amandum, honestius, & amore dignius appareat. Certe si ob id unum, quod suafiones, & excitationes, reale quidpiam

in se sint, atque physicum, reali quoque, ac physico plane modo in voluntatem agere reputantur; nihil profecto causæ erit, cur non Angeli quoque voluntatem hominis immutare dicantur, efficaciter, atque physice: cum & ipsi suafionibus, & excitationibus agant, captis etiam congruentibus locorum, ac temporum occasionibus, variisque hominum affectibus exploratis. Et tamen Doctor Angelicus 1. part. quest. 111. art. 2. solus, inquit, Dei est immutare voluntatem. Et paucis interjectis: Solus Deus efficaciter potest movere voluntatem; Angelus autem, & homo per modum suadentis. Canoras itaque nugas loquuntur, qui cum gratiam prævenientem in meris suafionibus, & excitationibus ponant, physicam tamen movendi vim eidem inditam dicunt, ut imprudentum ora sabliniant. Facto scilicet negant, quod verbi affirmant.

Jam vero ex quo physica movendi vis gratiæ prævenientis admittit, nulla superest, ea in hypothesei, actualis gratiæ, cui ad movendam hominis voluntatem physica vis inesse possit. Sola quippe, quæ superest, gratia cooperans, non in voluntatem physice insinuat, sed in actum, ut ipsa nominis ratio satis probat. Inducatur enim, ut ait Suarez lib. 3. Opusculorum cap. 5. n. 4. in illa voce quedam simultanea conjunctio voluntatis, & gratiæ adjuvantis ad eundem actum, vel actionem, ad quam mutuo cooperari dicuntur, ita ut sub ea ratione neutra alteram antecedit, vel impellat, sed solam simul operentur.

De reliquo Danielis insultus, queis Thomistis exprobrat, quod voluntatis assensum divinæ gratiæ, tribuendum omnino dicat, honori, & gloriæ ducimus. Hæc nos cum Augustino probalubenter audimus, cap. 6. de Dono perseverantiæ scribente: Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus; Cum Chrysolasto libro de Virginitate cap. 36. pronuntiante: Non partim suum, non partim Dei censet Apostolus, sed totum Dei. Hoc grati ferri est, nihil proprium ducere, sed omnia herilia; nihil suum putare, sed omnia Domini; cum D. Bernardo, hoc idem dogma tam pie, quam eleganter statuerit, Tractatu de Gratia, & Libero Arbitrio cap. ultimo. Non partim gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, & totum illa: sed ut totum in illo, sic totum ex illa. Nec aliud hac nostra loquendi formula, que supercilioso Censori stomachum movet, significatum volumus, quam quod Augustinus, quod Chrysolomus, quod Bernardus suis illis phrasibus voluerit. Assensum nimirum omnino gratiæ tribuendam asserimus, quia nedum nobis assentientibus divina gratia cooperatur, verum etiam ut assentiamur efficaciter operatur: nedum consentientes, operamque conferentes adjuvat gratia; sed, & ipsam quoque consensionem, & operæ collationem virtute se ipsa victrici operatur in nobis. Certum est enim nos velle cum volumus, sed ille facit, ut velimus. . . Certum est, nos facere, cum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntari. Augustinus lib. de Gratia, & Lib. Arb. cap. 16.

## ANIMADVERSIONES

## In superioris Tractationis Corollaria.

XXXIX.

## LIBELLI SUMMA.

Theologica Tractationi (A pag. 197. ad 202.) nonnullis observationibus finem imponit, quas uti Corollaria, supra mensuram, debitamque, ut putat, difficultatum omnium eliquationem addere gestit.

Hanc prima Scholæ Thomisticæ principia, quæ gratia se ipsa efficaciter superstruit, Augustinianis opponit, ut sacri dogmatis defensores intestino diffidio committat; illosque communi utriusque Doctoris Magisterio, pessima fide gloriari demonstrat. Eam porro mutua principiorum repugnantiam, in eo positam dicit, quod gratia se ipsa efficaciter necessitatem, ex creatura, ut Schola loquitur, ab Creatore dependentia derivavit Doctor Angelicus, si quidem penes illius Discipulos fides est: Augustinus et contra, si eisdem studiosos audimus, ex natura originis vitio lauciata infirmitate repetendam existimavit. Unde duplex confectarium fluere notat. I. Gratiam suapte natura victricem, Thomistarum quidem iudicio, ad utrumque innocentis, & lapsi hominis statum æquo titulo pertinere; Augustinianorum vero sententiam, ad unam saepe naturæ conditionem coarctari. II. Haud majori nos, juxta Thomistas, ad malum, quam ad bonum facultate pollere; parique ad peccatum, & pietatis opus, egere supremi numinis motione: a quo tamen semper abhorruit Augustinus.

## ANIMADVERSIO.

Si gratia se ipsa victricis necessitatem hac una ratione probasset Doctor Angelicus, quod liberum arbitrium utrinque versatile gerat homo; idemque a Deo, in quovis actu exerendo, pro creaturæ conditione necessario pendeat; alteramque rationem ex vitiatæ naturæ infirmitate petitam nusquam usurpasset; haud ita forte a veri specie procul abiret Danielis animadversio. Verum si utramque usurpavit ex æquo, atque illam maxime, quæ ex humanæ naturæ vitio peti solet; an non abibit in sumum objecta inter utrumque Doctorum principiorum dissonantia? Quamquam enim daremus ex animo (quod multi autumant gratia se ipsa victricis Defensores) Augustinum uni vitiatæ naturæ principio hæsisse firmiter; id ad summum extendi posset, Augustinum hujusce necessitatem gratiæ ex uno capite petiisse, ex duplici Divum Thomam. Atque hinc nemo colligeret, Præfatus Hipponensis principium ab Angelico Præceptoris reiectum esse, sed alterum duntaxat insuper additum, ut dogma Theologicum rationibus etiam Philosophicis communitret.

Porro ad vitiatæ naturæ infirmitatem confugisse perinde Doctorem Angelicum, nemo, nisi in ejus lectione peregrinus, & hospes haberet, ibi inficias. I. 2. quest. 109. art. 2. in corp. Sic igitur, inquit, virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu na-

turæ integra, quantum ad unum, id est ad operandum, & volendum bonum supernaturale; sed in statu naturæ corruptæ; quantum ad duo; scilicet UT SANETUR, & ulterius ut bonum supernaturalis virtutis operetur, quod est meritum. Uterius autem in utroque statu indiget homo auxilio divino, ut ab ipso moveatur ad bene agendam, Et in responsione ad primum, cum ratione philosophica demonstrasset, non ita hominem suorum actuum dominum esse, quin ab exteriori principio moveri debeat, ita demum colligit: Unde mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri a Deo: ET MULTO MAGIS LIBERUM ARBITRIUM HOMINIS INFIRMI POST PECCATUM, per quod impeditur a bono per corruptionem naturæ.

Eadem 1. 2. eademque questione, articulo 9. Homo in gratia exiliens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habuit infuso: Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum, ut scilicet a Deo moveatur ad recte agendum: Et hoc propter duo, primo quidem ratione generali, propter hoc, quod, sicut supra dictum est, nulla res creata potest in quemcumque actum providere, nisi virtute motionis divine. Secundo RATIONE SPECIALI, PROPTER CONDITIONEM STATUS HUMANE NATURÆ, quæ quidem licet per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom. 7. Quibus similia leguntur art. 3.

Et in Questionibus disputatis, quest. 3. de Malo, art. 1. ad 9. Dicendum, quod aliter loquendum est de homine secundum statum naturæ conditæ, & aliter secundum statum naturæ corruptæ: quia secundum statum naturæ conditæ, homo nihil habebat impellens ad malum, licet bonum naturæ non sufficeret ad gloriæ consecutionem, & ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum: non autem indigebat ad peccata vitanda, quia per hoc, quod naturaliter acceperat, poterat stare. SED IN STATU NATURÆ CORRUPTÆ HABET IMPELLENS AD MALUM; & ideo indiget auxilio gratiæ ne cadat. Et hic status ex præcedenti culpa provenit.

Dicat modo qui volet, Doctorem Anglicum divinæ motionis necessitatem ex una creaturæ a Deo pendens conditione petiisse; ac de contracta per peccatum originis infirmitate, quam millies Augustinus inculcat, ne leviter quidem cogitasse.

Abicit tamen, ut Augustinum uni vitiatæ naturæ principio ita hæsisse, Danieli concedam, ut ad alteram rationem ex voluntatis indifferentia, & subaltiori causarum omnium subordinatione petitam, nulla unquam occasione confugerit. Nec me multum Theologorum ita itatuentium movere auctoritas, quos uti in vindicanda gratia se ipsa victrici Commilitones enixe veneror, ita sanctissimi Doctoris mentem, eo saltem in capite, minus affectos exitimo. Id quadruplici argumentorum

torum genere Theologi nostrates evincunt.

I. Quod Augustinus divinas motiones non abimiliter efficaces, ad naturales etiam actus, supremi domini, atque imperii jure protendat. Sic cap. 14. libri de Corrept. & Gratia, de electione Saulis in Regem (quæ sane rerum mere civilium, ac naturalium ordine censenda est) sermonem habens: Hoc, inquit, non fecit Deus, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandum omnipotentissimam potestatem. . . . Itus egit, corda tenuit, corda movit, eisque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit. Sic ergo cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi scias. Certe nusquam Augustinus majori sermonis nervo gratiæ medicinalis necessitatem, & efficaciam, qua contracta juvat infirmitas, commendavit. Et libro de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 20. Scriptura divina, si diligenter inspicatur, ostendit, non solum bonum hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & a se factas bonas in actus bonos, & in eternam dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conservant seculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas, quæ voluerit, quando voluerit, faciat inclinare. Et cap. 21. Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam rationis voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino injuste aliquid velle non novit. Quo tendunt generalia illa Aristotelicæ, ac Thomisticæ Philosophiæ principia, de quibusvis creaturæ motibus, a primo motore uti primaria eorumdem causa derivatis, ab Augustino non abimiliter usurpata, lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. Movet itaque Deus occulta potentia universam creaturam. Et lib. 3. de Trinitate cap. 4. Voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporaliū specierum, atque motionum. Quin etiam lib. 1. Retractationum cap. 9. ex his ipsis generalibus principii bonum libertatis usum ex divina gratia repetendum haud dubie colligit: Quia omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur, ut ex Deo sit etiam bonus usus libertatis voluntatis.

II. Quod Augustini momenta non pauca, quæ gratia se ipsa efficaciter necessitatem ab ipso probatam agnoscunt, quotquot illo Doctore, atque Magistro gloriantur, ad statum innocentie, a quo procul infirmitas aberat, non abimiliter flecti debeant. Ut orandi necessitas, ad divinum præsidium implorandum, quam rationem millies urget sanctissimus Doctor. Quis enim Adamum etiam innocentem, ad conservanda dona, quæ sumperat, orare non debuisse sibi fingat, dicente Gelasio Summo Pontifice lib. contra Heresim Pelagianam. De ipsis primis hominibus, qui, dum suam felicitatem confidebant, non orando (quod utique nusquam scisse referunt) nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem interemerat durarent, suppliciter implorando, incolumes consistere nequiverunt.

Humilitatis studium, quo fit, ut torum in pietatis operibus Deo demus, nulla de re gloriamur in nobis, nec propriis viribus nosmet ipsos ab aliis fecernamus. Quis id ad statum primi hominis, & Angelorum perinde non referat, de quibus Augustinus ipse Enarratione 3. in Psalmum 32. Non habuerunt aliquid ex se, sed tanquam supplementum a Domino per-

Serry Tom. V.

esperant: spiritu enim oris ejus, non pars, sed omnis virtus eorum. Lib. 11. de Civitate Dei cap. 19. Inter sanctos Angelos, inquit, & immundos fuisse discretum, ubi dictum est: Et divisit Deus inter lucem, & tenebras. . . . Solus quippe ille ista discernere potuit. Et lib. 12. cap. 19. Si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat. . . . præfecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent. Inscrutabilis hujusce questionis altitudo, cur illum trahat, illum non trahat: illi ita suadeatur, ut persuadeatur; isti vero non? Quæ sane cum per humani arbitrii velle, vel nolle solvi non possit, ut loquitur Augustinus, ad intimam vocationis, & gratiæ efficaciam confugere cogit. At parem in Angelis stantibus, & cadentibus altitudinem demiratur est sanctissimus Præfatus lib. 11. de Genesi ad lit. cap. 10. Sed posset etiam ipsorum (cadentium scilicet Angelorum) voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset plane, Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit, penes ipsum est.

Divinæ voluntatis invicta vis, qua quidquid vult, quando vult, quomodo vult, indeclinabiliter facit. Sed, & hanc non modo in infirmi, ac læsi hominis voluntatem, verum etiam in omnes Angelorum, atque hominum voluntates, ac creaturam quamlibet exerceri statuit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium cap. 102. Quælibet sint voluntates Angelorum, vel hominum, vel bonorum, vel malorum, vel illud, quod Deus, vel aliud volentes, quam Deus, omnipotens voluntas Dei semper invicta est. Et cap. 69. Neque Deus ob aliud vocatior vocatur Omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cuiuspiam creaturæ voluntatis Omnipotentis impeditur effectus.

Aut ergo negandum, Augustinum gratiam se ipsa efficaciter iis momentis, ac rationibus demonstrasse, (quod ab eorum, quibuscumque agimus, Theologorum animo procul abest) aut eisdem necessitatem ad Angelorum, atque innocentis hominis statum pariter protendisse, fatendum est.

III. Quod innumera Augustinianæ Theologiæ principia, ab iisdem admittenda Theologis, concutere necesse sit, ex quo gratiam se ipsa victricem a statu naturæ innocentis eliminamus. Hac etenim forte ablegata, decreta se ipsis efficacia pari fecti collantur: atque ita liberi Angelorum, & innocentem hominum actus a Deo per Scientiam Mediam explorantur. Res non ideo futuri sententur, quia sciuntur a Deo; sed ideo sciuntur, quia futura. Prædeterminatio non ab immoto decreto, quod ea in hypothesi nullum est, sed a prævisis meritis, ex nativa arbitrii libertate suspensis, certitudinem mutatur. Quæ tria universam Augustini doctrinam ab imo suffodiunt. Quin, & hoc alterum confectarium fluit: Christum Dominum (cujus longe quam Adam innocentior natura erat, atque ab omni vitio, & corruptela multo remotior) ex prævisis perinde meritis electum esse; si status innocentie distincta sit gratia, distincta decreta, distincta scientia, distincta prædeterminatio. Cum tamen Augustinus gratuitam hominum prædeterminationem probaturus, Christi Servatoris exemplum præ cæteris urgeat, lib. de Prædeterminatione Sanctorum cap. 15. & lib. de dono Perseverantia cap. 24.

Aaaa 2

IV.

IV. Quod Augustinus Angelos stantes majori prae reliquis adjutorio donatos disertissime fateatur *lib. 12. de Civitate Dei cap. 9. Sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Ipsi autem, qui cum boni creati essent, tamen mali sunt, mala propria voluntate . . . . . aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perseverant; aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuvi, ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fuerunt, pervenerunt. Quod utique minus aequo diceretur, si efficacia necessitas adjutorii ex una infirmitate naturae, quae nulla in Angelis erat, peteretur. Futile quippe est, quod ajunt aliqui: amplioris adjutorii nomine uberiore habitualis gratiae copiam designari, aut forte certam de beatitudinis perennitate notitiam. Neutrum enim veritatem habet. Non primum, quia multi supremi Ordinis Angeli, quibus uberior habitualis gratiae copia pro majori naturae perfectione collata fuerat, atque ipse etiam ceterorum omnium princeps Lucifer, praecipites ceciderunt. Non alterum, quia de illo sermo est adjutorio, quo Angeli ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt. Certa autem de beatitudinis perennitate notitia, nonnulli adepta jam beatitudine, habetur, ejusdemque appendix, ac veluti confectarium est.*

Non igitur, ut universon concludam, ex una vitia naturae infirmitate videlicet gratiae necessitate derivavit Episcopus Hipponeus, qui hanc ipsam stantibus Angelis, ne caderent, collatam asseruit: motiones se ipsis efficaces ad naturales etiam actus elicendos, pro creaturae conditione necessarias propugnavit: eaque doctrinae suae principia posuit, rationumve momenta profertur esse, quae parum, eo saltem in capite, stantis, ac lapsi hominis fortem ostendant.

Negotium duntaxat fecit aliquid perdifficilis sanctissimi Praesulis locus, ex libro de *Corrupt.*, & *Gratia capp. II.*, & *12.* de promptis, quo varia gemini status auxilia pro cuiusque conditione distinguuntur: ut videlicet innocenti homini, tanquam viribus integro, praesto duntaxat esset adjutorium sine quo non feret opus bonum, non quo feret; lapsus, utpote male mulcato, ac viribus fracto, utrumque perinde succurreret: seu, ut Scholae lingua loquar, innocenti auxilium mere sufficiens, voluntatis nutui subditum adesset unice; lapsus utrumque, sufficiens nimirum, ac se ipso efficax, infirmam voluntatem imperio subdens.

Verum & id compendio solvit, si hoc unum observet, Augustinum, lapsus, & integram hominem, quo titulo distinguuntur, mutuo contulisse, gratiamque utrique necessariam explicasse, spectatis cuiuslibet status peculiaribus meritis, & quid utrique per sese, ac spectata cuiusque virium conditione debeatur, attendisse duntaxat: non quid utrique simul, communi forte, communibusque titulis necessarium videretur. Quare homini sano efficacem gratiam minime necessariam pronuntiavit, speciali videlicet ratione primigeniae familiaritatis; cum hoc ipso titulo gratia illi duntaxat versatili opus esset: Necessariam e contrario homini lapsus efficacem gratiam dixit, spectata nimirum infirmitate naturae; cum hac maxime ratione potenti egeret auxilio. Ca-

teram num alias communi quodam titulo, puta creaturae a Deo pendens, indifferentis arbitrii, versatilis voluntatis efficaci adjutorio simul egerent, non expendit eo loci facillimus Doctor; quod nihil eximendis Adrumeti Monachorum scrupulis interesset.

Nunc ad illud accedo, quod summae praeteris calliditatis, & invidia est: deductum scilicet ab Daniele Thomistici dogmatis confectarium: Haud majori nos ad malum, quam ad bonum facultate pollere; parique ad peccatum, & pietatis opus egeri supremi numinis motions. Vah tetram fycophantiam, putidamque calumniam! Quasi vero, quotquot Thomistico nomine gaudent, Lutheri blasphemiae Tridentina Synodo innixta anathema non dicant *can. 6. Si quis dixerit . . . . . Mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permittente solum, sed etiam proprie, & per se; adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Jude, quam vocatio Pauli? Aut iis Augustini verbis lapsus inculcatis non sponte subscribant ( *Lib. de novo Cant. cap. 8.*, & *de Corrupt.*, & *Grat. cap. 11.* ) Liberum arbitrium ad malum sufficit sibi; ad bonum non, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono?*

Invidiosum confectarium detestantur, quotquot physicam praedeterminationem admittunt: alteriusque plane generis esse volunt motionem ad bonum, quam malum; ac diversam toto caelo ad utrumque hominis facultatem. Sed & hac summa calliditas est, Philosophicam opinionationem de necessaria ad peccatum actum physica motione cum isto de gratia se ipsa videlicet dogmate conjunctam obtendere; ut eo objecto terribulamento, Philosophicam subtilitatum rudes a divinae gratiae professione procul avertat. Quam distita, disjunctaque sint duo illa doctrinae capita, plaudente sacro Confessu, demonstravit Thomas de Lemos in celeberrima de divinis Auxiliis Congregatione, die 10. Januarii anno 1606, & Molinianos Oratores hoc ipsum, quod modo Daniel, confectarium elicientes arena submovit. ( *Placuit Cardinalibus omnibus assensibus ista differentia valde.* ) Ad tertium, inquit, dicendum, nullo modo ex doctrina de physica praedeterminatione sequi, quod Deus sit causa peccati, vel quod ad peccatum physice praedeterminet. I. Quia potest optime quis defendere physicam praedeterminationem pro actibus supernaturalibus, & ex isto capite non coarctatur ad illam defendendam pro actibus aliis facillimis naturalis ordinis, & pro actionibus peccatorum. Et ratio est, quia respectu actuum supernaturalium est peculiaris ratio praeter illam generalem subordinationem causae secundae ad primam; ob quam specialem rationem ( *quidquid sit de illa subordinatione generali* ) est constituenda physica praedeterminatio in voluntate, qua Deus faciat, illam bene operari supernaturalis actiones. Quia respectu hujusmodi supernaturalium operationum, cum sint elevatissime, & supra voluntatem illam omnino excedentes, quod Deus immutat, & determinet voluntatem ad illas. Quia illa nunquam se determinabit ad id, quod supra ipsam est, nisi ad id immutetur, & determinetur a Deo in actu primo: quod evidentius patet in voluntate peccatoris. Quomodo enim, cum sit aversa a Deo ipsa se convertet, & determinabit ad Deum, nisi Deus prius illam ad se convertat, & vere faciat, quod se determinet ad bonum? Propter hanc ergo specialem rationem, etiam si quis teneret, voluntatem in actionibus, quae in peccatis sunt, non determinari a Deo, etiam qua-

quatenus entitates, & actiones sunt facillime, ad quas voluntas se possit determinare; tamen in actionibus supernaturalibus astringeretur sateri physicam determinationem ad supernaturalia opera exercenda.

Eandem illam gratiae se ipsa videlicet oppugnatorem artem observavit doctissimus Contentonius *lib. 8. Theologiae mentis, & cordis, dissertatio 1. cap. 2. Specul. 3.*, suosque, ne vorent hanc, sibi que illud patientur, egregie communit. Illud etiam diligenter observari avaro, quod licet sententia de praedestinatione ad actus naturales, atque etiam ad materiale peccati, tanquam probabilior a Thomistis eligatur; non ita tamen ab illis traditur, ut ex promotione ad actus naturales, vel ad materiale peccati, pendeat veritas illa cardinalis de gratia per se efficaci ad actus supernaturales, & meritorios salutis necessaria. Generalem quippe praedeterminationem admittunt duntaxat Thomistae, ut probabilem secundum rationem naturalem, & non ut necessario cum fide catholica connexam. Gratiam vero per se efficacem tenent, ut conclusionem Theologicam, ab Augustino, & Aquinate clarissime traditam, & post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima, & veluti ultima dispositione definitivam. Unde etiam nulla ad actus mere naturales, vel morales physice praedeterminatio admittitur, eam tamen in ordine supernaturali ad recte, christianique vivendum admittendam contendimus, generalemque promotionem ideo solum astringimus, ut per eam ad gratiam per se efficacem uberius, fortiusque stabilendam, viam muniamus, ad eamque propugnandam serviat etiam Philosophia. Quare gratiae per se efficaci assertivam unice quarimus, unice intendimus. Unde, ut optime Arves *lib. 3. de Auxiliis disp. 24. n. 27.* observavit, Thomistarum nonnulli Deum promovere ad actum peccati, etiam ut actus est, inficiati sunt, quamvis ad unum omnes gratiae videlicet, & per se efficaci omnipotentissimam potestatem a praevisione Scientiae Mediae independentem constantissime assererent; & de illa processit olim coram Clemente VIII, & durat adhuc Patres Societatis inter, & Dominicanos, disputatio. Hec observare opere pretium in hujus dissertationis coronide duxi, quia quamplurimos adverti adversarios hac arte Thomisticae de gratia sententiae invidiam accersere, quod nostra sententia Deum malorum actuum faciat promorem. Sed, ut dixi, de promotione generali non est principalis, sed tantum accessoria disputatio.

Neque tamen Danielis, aliorumque calliditatem exaggero, quasi philosophicam illam opinionationem de necessaria ad peccatum actum physica promotione invidia patere se ipsa patem. Absit. Hanc nullo negotio amollunt Thomistae nostrates, omnemque ab amulis circumfusam impietatis umbram depellunt, vulgari illa entitatis, quae peccato substat; & deformitatis posita distinctione: sequit nihil eo in capite docere probant, quam quod Doctor Angelicus in 2. Sentent. dist. 37. quae 2. art. 2. Dicendum, quod actus, in quantum actus, a Deo est, & ut sic non habet aliquid, quod deformitatem habeat: quod qualiter sit, ita considerari potest. In omnibus enim, in quibus incidit defectus ex causa secunda, & non ex causa prima, oportet, quod quidquid est in effectu deficiente essentiae, & bonitatis, totum a prima procedat: quod autem defectus reducatur in causam secundam deficientem ut patet in claudicatione, quae est a virtute gressiva mediante tibia: per cuius scilicet tibiae curvaturam obliquitas in gressu claudicantis relinquitur. Unde quidquid est ibi de gressu, totum est a virtute gressiva: sed defo-

mus, vel obliquitas gressus non est a virtute gressiva, sed a tibia tantum. Similiter etiam est ordo Dei ad voluntatem causatam, sicut causae primae ad causam secundam: ideo ex parte Dei nullus defectus incipere potest. Voluntatem autem causatam ad defectum possibilem est: & ideo, quidquid est in actu deficiente, scilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc a primo agente, scilicet Deo, procedit mediante voluntate: sed is ipse defectus, qui est in actu, hoc modo est a voluntate, quod a Deo non procedit; & ideo quodcumque nomen deformitatem simul cum actu significat, sive in generali, sive in speciali, non potest dici, quod hoc a Deo sit simpliciter: unde non potest dici absolute, quod peccatum sit a Deo, ut homicidium, aut aliquid hujusmodi, nisi cum hac additione, in quantum est actus, & in quantum est ens. Hae Doctor Angelicus: quibus plane concinunt, quae habet quae 3. de Malo art. 2. cui hunc titulum fecit: *Utrum actio peccati sit a Deo?*

Si cui pater invidia dogma Thomisticum, eaque entitatis, ac deformitatis distinctione non penitus amovetur, parem nobiscum invidiam Moliniani subibunt, qui Dei motionem sine minus praviam, ac comitem in perpetrando peccato fidenter admittunt. Paris enim impietatis est, Deum peccati socium, & complicem opinari, ac ejusdem auctorem, & impulsorem effurire: nec minus refugit animus, Deum una nobiscum, & in perpetrando peccato efficaciter operari, quam voluntatem nostram, ut peccet, efficaciter permovere. Quid ergo, si praestigias illas opportuna entitatis ac deformitatis distinctione discutiunt Moliniani, seque idcirco ab omni impietatis suspitione remotissimos putant, tam iniquae Thomisticae opinionem pronuntiant, quasi perinde purgari non possit?

At vis tu ea in re opinionem audire, cui nigrum theta jure praefixeris, quamque nulla unquam distinctio cohoneter? Dabant Societatis Theologi Castellani, ac Toletani, de quibus Christophorus Orthege, ita refert, *Controversia 3. de Decreto, disp. 2. quae 4. cert. 3. §. 8.* Audio recentiores aliquos ex nostris, Castellanos, & Toletanos incaute lapsos: ut admiserint, Deum concursu simultaneo, quem solum admittunt, non solum ad materiale peccati, qua materiale, sed AD FORMALE IPSUM PECCATI PHYSICE, CONCURRERE: etsi quia nolens ad eum concursum a creatura voluntate trahitur, ac determinatur, nec causa materialis peccati, qua materialis, nec formalis, seu peccati absolute talis, dicendus sit. Sic sane, qui ceteros violatae divinae sanctitatis incusant, opinionum monstra parturiant, quae pie, caetque aures perhorrescant: excolant culicem, camelum autem deglutiant.

XL.

## LIBELLI SUMMA.

( *A pag. 202. ad 205.* ) Doctorem Anglicum Thomistae physice praedeterminationis assertivum eripere nititur, productis hinc sanctissimi Praeceptoris momentis in speciem repugnantibus. Quae 3. de Potentia, quae est de creatione, art. 7. ad 12. Deus voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis. Ibidem in Responsione ad 13. Causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam;

turam; & ideo determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis. In 2. Sententiarum, dist. 39. quest. 1. art. 1. Potentia voluntatis quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinate, sed ab ipsa voluntate. Tum celeberrimum Campanellam in in scenam vocat, quod adversus decreta prædeterminationis in Thomistarum Scholâ nuper invecita librum ediderit.

## ANIMADVERSIO.

Quis non hic profundam Divi Thomæ lectionem Danieli gratuletur, qui quatuor admodum lineas ex rapta librorum mole excubere potuit, ut cum a physica prædeterminationis dogmate alienum ostenderet? At Lemos, & eo amplius Doctoris Angelici momenta congestit, ut hoc illi dogma afferret. Utri felicius labor esset dicant, qui cuncta contulerint. Mihi quippe telam hanc novo opere redordiri non vacat; nec ut id oneris mihi sumam, Animadversionum istarum ratio postulat. Hoc dico tantum, Societatis Theologos bene multos D. Thomam physicæ prædeterminationis dogmati adhasisse, haud ægre primitus fassos esse, donec mutato consilio, aliam loquendi, scribendique rationem inierint. Ita Conimbricente Societatis Jesu Collegium lib. 2. Phys. cap. 6. quest. 13. art. 1. Circa modum, quo Deus cum causis secundis ad earum operationes, & effecta concurrat, discutienda se offert CELEBRIS OPINIO D. THOMÆ 1. part. quest. 105.; & 1. 2. quest. 109. art. 1., & quest. 3. de Potentia art. 6., & usque sectatorum Caprelli in 2. dist. 1. quest. 2. Ferrarionis 3. Contra Gentes cap. 70., & aliorum existimantium omnes causas secundas, antequam operentur, accipere a Deo influxum quemdam, & motum, qui sit quasi esse intentionale virtutis divinae, quo ad promendas actiones excitentur; eo modo, quo artium instrumenta, ut dolabra, & securis præviam motionem a fabro accipiunt, cum ad opus conficiendum applicentur. Viden' quo pacto celebrem illam opinionem, & D. Thomæ, & antiquis ejus discipulis tribuit?

Ita selecti ex Hispania, Gallia, Germania, Austria, Italia, Lusitania Societatis Theologi, qui librum de Ratione Studiorum ediderunt, typisque domesticis Romæ mandarunt an. 1586. hanc num. 6. D. Thomæ propositionem inter cæteras adnotarunt, ad cujus defensionem suos adstringi nolunt: Causas secundas esse proprias, & univoce instrumenta Dei; & cum operantur, Deum in illas primum influere, aut eas movere. Haud itaque dubium illis erat, ita plane Doctorem Angelicum statuisse. Quare & suum illum repudiatarum sententiarum elenchum ita concludunt: In cæteris, quæ hic excerpta non sunt, a D. Thomæ nostri non recedant.

Mitro Bellarminum, Toletum, Pererium, & alios, de quibus in Historia de Auxiliis fufe dixi, qui hanc ipsam Divo Thomæ sententiam tribuunt. At quo magis Danielis ingenium demireris, Suarezium, quo Magistro triumphat, præterire non possum: qui quamvis omnes ingenii nervos intendat, ut Doctorem Angelicum physicæ prædeterminationis assertoribus neget, veritate nihilominus victus, hanc ipsam ab eo, quest. 3. de Potentia art. 7. ad 7. disertissime traditam fassus est, in Opere posthumo de vera intelligentia Auxilii efficacis cap. 40. utque laqueum effugeret, commentitiam retractionem

excogitavit. Etenim D. Thomæ ad 7. hujus articuli objectionem recensito responso, ita subjungit: De quo loco ingenio fatemur, D. Thomam ita ibi sensisse: credimus tamen eum in ea sententia non perhasisse, quia neque in Summa, neque in aliis Sententiarum, & contra Gentes, illum casualitatis modum Deo tribuit. Ea tamen, si Superis placet, Daniel Magistro doctior, & oculatior physicam prædeterminationem hoc ipso articulo 7. infra decem circiter lineas constatam, debellatam, exterminatam præsentit. Felicem, cui tam acutam aciem largitus est Deus!

Sed age femoto joco videamus, num illum potius fallacia perpicillia delulerint. Deus, inquit Doctor Angelicus loco a Daniele nobis obiecto, voluntati hominis dedit dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradi-tionis. Quis id neget physicæ prædeterminationis assertor? Quis obligatam divinam motionem hominis voluntatem, sui que actus dominio devotam commentos est, ut dissentire etiam præmotam non possit? Audi quo pacto utrumque conciliat Doctor Angelicus, 1. 2. quest. 109. art. 2. ad 1., actusque dominium, & in partem utramlibet facultatem cum motionis necessitate conjungat. Homo est dominus suorum actuum & volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, que potest scilicet ad unam partem, vel ad aliam: sed quod deliberet, vel non deliberet, est hujusmodi etiam sit hominis, oportet, quod hoc sit per deliberationem precedentem: & cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum hominis arbitrium moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam. Et 1. contra Gentes cap. 68. Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, quod in eis est potestate velle, & non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cause exterioris agentis, non autem excludit influentiam superioris cause, a qua est ei esse & operari, & sic remanet casualitas in causa prima, que est Deus, respectu motuum voluntatis.

Haud acutius prædeterminationis excidium præsentit Daniel aliis illis Doctoris Angelici verbis ex responso ad 13. Argumentum: Causa prima ita non agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam. An non id physicæ prædeterminationis assertores affirmant; qui universa pro sua cuiusque natura, & conditione moveri volunt; libera quidem, ac ratione utentia, libere; necessaria, ac rationis expertia, necessario? Huc mire faciunt sanctissimi Doctoris verba, 1. part. quest. 83. art. 1. ad 3. Deus est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias: & sicut naturalibus causis, movendo eas, non auferit, quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non auferit quin earum actiones sint voluntarie: sed potius hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem. Explicatius autem, & magis ad institutum nostrum lib. 1. ad Annibaldum dist. 47. quest. unica, art. 4. Voluntate Dei non solum res in esse producantur, sed etiam in rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminat. Unde cum voluntas Dei efficaciter implatur, oportet, quod res fiat, & eodem modo, sicut voluntas divina disposuit. Quibus gemina sunt, que sequuntur 1. 2. quest. 10. art. 4. ad 1.

Neque felicius Propheta vidit, qui cætera laudatæ responsionis verba in malum omen accepit. Determinatio actus relinquatur in potestate rationis, & voluntatis. Ita quippe determinationem

rationi relinquatur, ut divinam propterea determinationem non effugiat. Hinc Doctor Angelicus in 2. Sent. dist. 25. quest. 1. art. 1. ad 3. Determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita, sicut primo agenti. Deus quippe ita se determinat, ut non determinetur ab alio: homo vero tametsi se se determinet ob indifferentiam activam, ob passivam nihilominus indifferentiam determinatur ab alio. Quæ duo secum minime pugnare docet quest. 6. de Malo art. unico ad 17. Voluntas, quando de novo incipit eligere, transmutatur a sua priori propria dispositione, quantum ad hoc quod prius erat eligens in potentia, & postea fit eligens actu. Et hæc quidem transmutatio est ab aliquo movente, in quantum ipsa voluntas movet se ad agendum; & in quantum etiam movetur ab aliquo exteriori agente, scilicet Deo. Quocirca 1. part. quest. 105. art. 4. ad 2. hoc generale principium ponit: Moveri ex se non repugnat ei, quod movetur ab alio. Idem enim agens, ut liberum est, movet se, atque determinat; ut secundum est, movetur, ac determinatur ab alio: immo idcirco movetur, ac determinatur, ut ipse se moveat, ac determinet: seu, ut loquitur Augustinus, aguntur, & agunt homines, quin & ad hoc aguntur, ut agant.

Eundem sensum habet locus alter ex lib. 2. Sententiarum nobis obiectus, ubi voluntas ob sui indifferentiam ab semetipsa determinari dicitur. Si enim idcirco semotam velis determinationem a Deo prodeuntem, secum pugnantem habebimus Scholarum Angelum, qui toties voluntatem ob suis indifferentiam a Deo determinari, moveri, applicari, transmutari, transferri contendit. Loca Theologi nostrates indignant, Lemofius, Alvaresius, Contentonius, Massoulieus.

Cæterum num constantem illam Thomisticæ Scholæ doctrinam edito libello impugnaverit Campanella, minus moror, utpote quem a præconcepitis præjudiciis tandem abductum, ad domestica castra, dum extremum vitæ cardinem premeret, rediisse, multis ostendi, lib. 4. Historie de Auxiliis cap. 27. At id satis mirari non possum, Campanellam tanto nunc pretio apud Molinianos haberi, quem non ita pridem curto vix asse licitabantur, jamque uti (Remonstrance a M. P. Archev. de Reims, ) virum celeberrimum ab Daniele, cæterisque Sodalibus in cælum efferri, a quibus ante annos aliquot tantum non in culinam detrusus est. Tametsi visus sit, inquit Theophilus Raynaudus in Diatribis §. 57. per aliquot tempus cymbalum mundi, tamen revera est ignoratissimus; ita ut ne ipsos quidem terminos sive Philosophicos, sive Theologicos intelligeret, Sententias autem invenit non modo a S. Thomæ, sed etiam a sensu cuiusvis sani hominis adeo abhorrentes, ut desipere potius videatur quam disserere. Eleves crasse in ejus libris tam multa, & tam inexcusabiles occurrunt, ut mirum sit adeo pinguem scriptorem superioribus annis invenire potuisse laudatores. Theophile, ne mireris; habet ille etiam hodie laudatores, & quidem ex tuis, jamque uti vir celeberrimus commendatur, ex quo illis visus est prædeterminantem gratiam impugnasse.

Non erit tamen operæ dispensium observare, Campanellam, hoc ipso in Opere, quod Daniel noster appellat, nimirum in Centone Thomitico ad Præceptorem Scholasticorum, gratiam congruam dedita opera confutasse, Jesuitis ipsis ad marginem ex nomine appellatis. Alii autem,

inquit articulo 1. ajunt, (Jesuita) NEC RECTIUS, Deum non prædeterminare, nec reprobare ante prævisionem actuum humanorum: item non prædeterminari actus liberos per se a Deo, sed ab occasionibus fatalibus; quos quidem actus dicunt a rerum serie, ut vocabulum fati vident, moveri; sic ut agant id, ad quod prædeterminati sunt homines. Nam si prædeterminatio est post prævisionem actus, tunc actus prævisi ex serie orti, non ex libertate ut independento a serie, sunt infallibiles. Et tunc revera nihil excusatur ex hoc Deus; sive enim per se, sive rerum serie per aliud trahat homines ad suos fines, infallibiliter fiet, quod decretum est, & inevitabiliter ad fines ibunt prescriptos, sive prescriptos. Ex quo sequitur, inferentibus libertatis, e Calvinii semine exortis, quod peccatum non sit peccatum, nisi ex opinione, cum ad ipsum impellamur a Deo, & effectus causarum magis tribui debeat potentiori cause quam debilitati, etiam si absque hac non fiat. Alde quod Cbrysolomus super Joannem considerat, quod Judas optima serie postius damnatur, & Cornelius Centurio in pessima salvatur. Ergo voluntas non pendet a serie; nec ejus determinatio, nisi occasionaliter. Anima enim est ratio se ipsam movens, ut Plato, & Patres nostri docuerunt. Hæc ille, quibus gratiæ congruæ defensores attonsi sunt.

## XLI.

## LIBELLI SUMMA.

(A pag. 206. ad 212.) Secunda, tertia, & quarta observazione hæc ipsa rursus inculcat Theologus Molinianus, que de dissentendi potentia, de sensu composito, & diviso, de gratia cum effectu suo intime conjuncta, humanamque voluntatem indeclinabiliter, & inflexibiliter agente dixerat a pag. 45., ad 48., a 165. ad 170., a 123., ad 130. & pag. 185. Ut nimirum gratiam se ipsa efficacem cum quarto sexta sessionis Canone Concilii Tridentini ægre admodum conciliari demonstraret; ejusque defensores difficultatem hanc futilibus, ac sensu vacuis cavillationibus declinare.

## ANIMADVERSIO.

Tædet earumdem semper argutarum. Has Animadversionibus 14. 30. 34., & 37. abade diluimus: genuinum Tridentinæ Synodi sensum, a quo Molinianus deflectat, declaravimus: Thomisticam distinctionem, qua annulorum sophismata diluunt, a summis Scholæ Magistris petitam ostendimus: indeclinabilem, & inflexibilem gratiam vim cum effectu intime conjunctam cum humana libertate conciliavimus.